



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XI. Romana fideicommissi de Vrsinis. De eodem, an scilicet vocato uno genere post alterum, quod testator præ ferri voluit; Putà vocatis masculis & fœminis cum prælatione masculorum, An donec ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

factis casus fideicommissi, cum sententia banni esset contumaciatis, quæ juxta opinionem, in qua refidet Rota & Curia, non probat delictum, neque sufficit ad hujusmodi effectus, nisi aliunde justificetur, cum potius lata censetur in pœnam contumaciæ juxta doctrinam Bart. in l. Papinianus §. meminisse ff. de inoff. testam. cum concord. per Lotter de benef. lib. 3. q. 18. num. 160. & seqq. Greg. & Adden. decis. 371 num. 10. decis. 117. num. 6. par. 3. recent. & frequenter in materia beneficii; Et in terminis specialibus ad effectum præsentis controversiæ decis. 394. num. 19. & sequen. par. 5. recent.; Et sic dupliciter cessabat dicti Francisci patris jus in hujusmodi primogenitura, unde propterea ex solo facto causa remanebat plana pro hac parte absque alia inspectione juris.

Verum ubi utrumque facti motium cessaret, quia nempe de delicto bene constaret, atque filii per delinquentem post bannum ac incursum caducitatem procreari essent; Quamvis ego ex tunc erroneam crederem differentiam obiter insinuatam in d. Bonon. fideicommissi de Barberis inter primogenituras & fideicommissa, quod scilicet ea suspensio, quæ ex veriori & recepta sententia datur in istis, non detur in illis; Attamen cum ageretur de vacatione propter delictum, ac de substitutione ordinata ad effectum, ut bona transire non possent neque ad tempus ad manus filii. Admittebam non intrare dictam quæstionem suspensionis, durante spe vel potentia, sed quod illico admitti deberet substitutus, ex clara voluntate testatoris ita in verbis expressè disponentis, ut est hujus cautelæ consueta formula, Ac etiam quia consideravit testator spem seu potentiam reintegrations in ipsomet priori possessore delinquente, & tamen voluit interim bona deferri ulteriori substituto, quam ita gravavit ad restituendum priori, postquam sublato impedimento, restitutionem in gratiam obtinisset, & sic voluntas erat clara dirimens dictam quæstionem.

Quare solum intrabat altera quæstio derivata ex dicta traditione Lamberti de Ramponibus de qua in his individualibus terminis filiorum procreatorum post bannum, habetur actum in Lucana coram Dunozetto, Ghislerio, & Pirovano decis. 346. & 5. rec., & decis. 103. par. 6. & quarum prima est repetita inter illas Dunozettii dec. 142., ubi quamvis ex magis communi opinione statuatur regula super irrevocabili successione ejus, qui reperitur proximior de tempore facti casus, denegata proximioribus postea venientibus facultate revocandi, quæ regula pleniori calamo etiam in casu vacationis per mortem firmatur in allegatis decis. 95. num. 29. & seqq. & decis. 218. num. fin. par. 11. rec.

Illam tamen limitatur ex contraria etiam præsumpta & conjecturata disponentis voluntate, ut in eisdem decisionibus supra allegatis admittitur, & est principium absolutum, quoniam in hac materia ultimarum voluntatum, omnes juris regulæ & quæstiones cadunt ad effectum inducendi solum juris præsumptionem uni vel alteri magis assistentem, semper tamen ac perpetuè, nè dum contraria probatione, sed etiam fortiori præsumptione elidibilem, ideoque adinstar ferè omnium aliarum, quæstionem eandem ultimarum voluntatem materiam concernentium, remanet quæstio potius facti quam juris uniformem regulam seu determinationem non recipiens, sed pro singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda.

In his autem specialibus terminis fideicommissi pœnalis propter delictum, illa reputari solet potissima & efficax canonizata in supra alle-

gatis decisionibus in Lucana, cum quibus bene in quoque causa processum est, quod scilicet reator demendavit reintegracionem ipsiusmet delinquenti & delinquentis, quatenus in gratiam restitueretur, unde liquet testatorem noluisse revertere ordinem primogenituræ ac successione casu mortis naturalis attendendum, neque concludere lineam admittam ob alteram remotionem sed solum ita juxta communem cautelam provisionaliter statuere voluisse ad excludendum materiam ac tollendam præjudicalem bonorum vacationem, donec duraret impedimentum ob quod ordo per ipsum præscriptus effectum sortiri non potest, & sic mera dispositio provisionaliter tantum effectum tantum, non apta alterare substantiam principalis dispositionis seu ordinem præscriptum, unde ex pluribus iusta, & probè videbatur dicta resolutio contra partium hereditogenitum.

ROMANA  
FIDEICOMMISSI DE VRSINA  
SEV  
BLANCHINIS  
PRO  
VIRGINIA BLANCHINIA  
CVM  
IOANNE FIDELE FILIO.

Casus decisus per Rotam pro Ioanne.

De eodem, An scilicet vocato uno genero post alterum, quod testator præferebat, luit; Putà vocatis masculis & feminis cum prælatione masculorum, An dicitur istorum spes seu potentia durat, adhibenda sint femina; Et quatenus adhibentur, An excludantur per masculos postea supervenientes, Et in specie de his excludente propriam matrem.

S V M M A R I V M.

- 1 Fidei series.
- 2 Decisiones causæ.
- 3 Fundamentum decisionum, quod masculus excludit propriam matrem.
- 4 Resolutiones non placent, & de ratione.
- 5 Regulariter appellatione masculorum veniunt etiam masculi cognati per feminas, fortius in fideicommissis ordinato per feminam.
- 6 Etiam femine solent diligere familias virorum, & habere rationem agnationis.
- 7 In conjecturalibus vispote arbitrariis, non datur iustitia qua vincatur.
- 8 Quod habemus de duobus, vel tribus consensibus intelligitur de iustis.
- 9 Ad materiam tex. in l. si viva matre, ut filius sit melior quam mater.
- 10 Quando filius sit melioris conditionis, quam mater.

- 11 Impugnatur conclusio de qua num. 3.  
 12 De conditione, vel dispositione inductiva viduitatis remissive.  
 13 In feudis prior est conditio masculorum, & remotiorum, & tamen non expellunt feminam jam admissam.  
 14 De conclusione, ut successio debeat esse in suspensio donec durat spes, vel potentia existentia generis praeilecti.  
 15 De difficultate, quae in presenti causa cadere poterat.

## DISC. XI.

**P**Anthasia de Matthaeis uxor Hilarii de Vrsinis, instituit pluribus ejus filiis masculis, perpetuum descensuum fideicommissum etiam reciprocum ac lineare ordinavit inter omnes descendentes masculos & feminas, ita tamen quod semper masculi feminis praerentur; Cumque ex Curcio uno ex dictis filiis fuisset superstes Clarix unica filia, haec paternam portionem obtinuit, non obstante existentia aliorum dicti Curtii fratrum, post quorum seu eorum filiorum obitum, tractu temporis omnia dicta testatrix bona consolidata fuerunt in dicta Clarice, jure dicti fideicommissi canonizati etiam per Rotam in Romana fideicommissi 8. Junii 1648. & 23. Januarii 1649. coram Arguelles, quarum secunda est decis. 279. par. 10. rec.; Mortua vero dicta Clarice absque prole masculina, superite Virginia filia, haec tam titulo hereditario matris, quam jure dicti fideicommissi omnia bona obtinuit; Verum tractu temporis Joannes Fidelis ejusdem Virginiae filius, ob praerelationem, ut supra, masculis traditam, judicium instituit contra matrem super vindicatione bonorum fideicommissi. Et introducta causa in Rota coram Zarata, tres prodierunt ad favorem Joannis Felicis actoris resolutiones sub diebus 14. Junii 1652., 28. Aprilis 1653. & 12. Junii 1654., quarum prima est impressa decis. 267. par. 11. rec., ad quarum decisionum normam expedita sententia, & commissa causa appellationis in eadem Rota coram Verospio, sub die 4. Junii 1655. pro dicta sententiae confirmatione responsum fuit, Atque ad normam unice decisionis emanata sententia confirmatoria, commissaque per Signaturam causa in eadem Rota coram Taja cum solita clausula *Confiteo quod sit locus statuto de duabus*, datoque dubio ex ipsius rescripti ventre resultantem, An constaret de duabus conformibus, quae ad formam statuti venirent exequenda sub die 24. Januarii 1661. affirmativa prodit resolutio, unde causa finem habuit.

Omnium praedictarum resolutionum fundamentum fuit auctoritas Peregrini de fideicommissis art. 27. num. 5. cum seqq. ubi ex auctoritate Anebarani conf. 359., in specie substat, quod masculus superveniens excludat, nedum amitam, sed etiam propriam matrem.

Mihi in aliquibus tantum ultimis disputationibus, atque in statu semimortuae causae pro Virginia matre scribenti, reflectendo etiam ad solam veritatem, pro judicio proprio forsitan aspera visae fuerunt dictae resolutiones ex duplici motivo; 1. Primò quia videbatur probabilius praerelationem masculorum eum dictione semper à testatrice demandatam percutere solum casum, in quo urget favor agnationis pro masculis ex masculis de familia Hilarii viri; Et secundò, quod ubi etiam id conveniret masculis cognatis ac procreatis per feminas, adhuc tamen intelligendum esset re in-

Cardin. de Luca De Fideicommissis.

tegra, & in concursu ad successionem assequendam, non autem ad effectum repellendi propriam matrem à successione jam assequuta.

Quatenus igitur pertinet ad primum fundamentum, quamvis ageretur de fideicommissio ordinato per feminam de diversa familia, & cujus respectu, etiam filii primi gradus dicuntur cognati, unde propterea regulariter in fideicommissio femini non intrat contemplatio agnationis, atque facilius intrat magis communis opinio hodie recepta pro regula, ut cessante ratione agnationis, seu aliis conjecturis diversam testatoris voluntatem ostendentibus, sub nomine masculorum veniant etiam masculi cognati procreati per feminas juxta conf. 85. Fulgosi, quod reputatur in materia magistrale, ut satis frequenter habetur infra super materia concursus ratione sexus, tam in concursu cognatorum cum agnatis, quam masculorum aequè cognatorum, in eo inaequalium, quod uni per unum medium, alii verò per duplex medium feminiatum ab agnatione distent.

Attamen non omnino incongruit, ut etiam feminae in propriis filiis masculis, quos siliabus exclusis, haereditas cum descensivo fideicommissio instituant, detur contemplatio agnationis, ex ea clara ratione, praesertim in Italia, quod de communi hujus regionis usu, mulieres nuptae, propriam familiam seu cognomen de facto deserunt, ac transeunt in illas virorum, ex quibus denominantur, ac propterea tanquam effecta de illa familia, eam magis diligunt, ut in specie observant Decianus conf. 127. nu. 9. cum sequen., & num. 15. lib. 3. Gabr. conf. 116. num. 7. lib. 2., qui aios referunt, & non negat Bellon jun. acerrimus defensor masculi cognati etiam mediati conf. 73. num. 18., ipseque communis usus id probat ad evidentiam; Potissimè verò ex facti qualitate, dum agebatur de adeò illustri familia Ursinorum, verisimiliter magis dilecta, quam essent illae familiae, cum quibus foeminae tractu temporis collocari soleant; Aliis etiam conjecturis & circumstantiis in idem concurrentibus, praesertim quòd testatrix habens etiam filias, illas exclusit, non tamen ex defectu dilectionis, dum in defectum masculorum, eorumque descendendum, eas, earumque descendentes quoque vocavit, cum aliis, quae ex testamenti contextu desumi videbantur idem denotantia.

Verum in hoc resolutiones de improbabilitate non de facili convinci posse observabam, quoniam cum regula sit in contrarium, potissimè verò in fideicommissio femini, ut appellatione masculorum veniant etiam masculi cognati per feminas procreati, limitatio autem pendeat, non à voluntate expressa & litterali, sed à tacita deducta ex conjecturis, in quibus certa & determinata regula dari non potest, cum in iudicis arbitrio ex singulorum casuum particularibus circumstantiis regulando repositum sit pondus vel efficacia conjecturarum, idcirco in arbitrariis non de facili convinci potest injustitia, ut apud Gregor. decis. 106. in princ. 3. ubi concord.

Quam proinde in ultima praesertim disputatione, in qua praesertim de illa strictè agi solet ad probandum non esse locum statuto de duabus, intelligendo de validis & justis, eodem modo, quo cessante hoc statuto, in solis terminis juris communis frequenter disputari contingit super causis commissis, cum clausula *Confiteo de tribus*, quia semper intelligitur de validis & justis, resultare dicebam ex alio motivo repellendi feminam jam admissam.

Ad convincendam igitur de errore præfatam doctrinam *Peregr.* alioquin viri doctissimi, statuebam in primis regulam deductam ex *textu in l. si viva matre Cod. de bonis quæ liberis*, ubi in specie ad literam deciditur, filium esse non debere melioris conditionis propria matre, Vel quia infecta primitiva inficitur derivativa, Vel quia absurdum videtur, ut potentius sit causatum quam causa, Unde propterea *Castrens. in l. gallus §. nunc de lege ff. de liberis & posthumis, ac Soccini ibidem, & cæteri sequaces*, de quibus plenè *Laderch. conf. 153. in principio*, occasione sustinendi opinionem, licet apud modernos minus receptam, ut vocatis tantum masculis, non veniant nisi masculi, ex masculis, non autem illi ex fœminis, dicunt ad dictum *textum in l. si viva matre*, nunquam potuisse responderi.

Et licet ista opinio *Soccini, & Castrens. ac sequacum, de quibus Laderch. ubi supra*, & alii pro ratione dubitandi relati per *Bellon. jun. conf. 72. & 73.*, in foro regulariternon sit recepta, sed magis receptum sit dictum *conf. 85. Fulgosi*; Attamen id recipiendum videtur in ordine ad præsentem quæstionem, ut filius sit melioris conditionis, quam mater, in duplici casu, Vel scilicet ubi sexus fœmininus omninò inhabilitatus est, restricta vocatione ad solum genus vel sexum masculinum, ut frequens praxis docet in pluribus casibus, qui habentur intra in hac materia concursus masculorum agnatorum & cognatorum, seu cognatorum mediatorum & immediatorum; Vel ubi vocatio utriusque sexus est per prius & per posterius cum prælatione masculini, ita ut vocatio fœminina sit solum subsidiaria, atque res sit integra, unde agatur de concursu ad successionem assequendam delatam de tempore existentia matris & filii, quia tunc iste ex voluntate testatoris illam excludit, atque non intrat dispositio vel ratio *textus in dicta l. si viva matre*, cum dispositio hominis cessare faciat dispositionem legis, atque isto casu admittebam *Peregr.* benè loqui.

Sed ubi de tempore apertæ successionis nullus extabat masculus, undè propterea fœmina admissa fuit, tunc profus improbabilem dicebam dictam opinionem, nulli juris vel rationis fundamento innixam; Tum ex magis communiter recepto legali principio, ut successio remotioris seu minus dilecti, ob non existentiam proximioris vel magis dilecti, non refragante testatoris voluntate, sit irrevocabilis, atque per proximioris supervenientiam non cesset, ex iis, quæ habentur in *Civitate Castellana primogenitura disc. precedenti*, unde propterea excepto casu substitutionis pœnalis, de quo ibi ex ratione ibidem assignata, nunquam, vel satis rarè praxis hanc revocabilitatem docet.

Tum etiam ob magna absurda aliàs exindè resultantia, quod scilicet mulieres ad aliquam successionem admittæ, timentes, nè sortirentur conditionem viperarum, quæ à propriis partibus occiduntur, ita cogerentur viduitatem potius pati, undè propterea rectè intrarent ea, quæ de infectione dispositionum viduitatem induentium habentur intra in *Bonon. fideicommissi de Guidotti disc. 44.*

Atquè ad clarè convincendum errorem dicti auctoris sive *Ancharani dicto conf. 359.*, à quo ipse totum desumit, ponderabam eisdem terminos feudales, cum quibus, licet cum aliquo æquivoco, procedit idem *Ancharan.*, quoni in feudis rectis ac propriis suam feudalem naturam adhuc retinentibus, ita ut non sint omninò corrupta, & redacta ad naturam allodialium, ut est in casu, de quo in *Mantuanæ feudi sub tit. de feudis disc. 11.*; Vel ubi

non obstant leges & consuetudines periculose juxta ea, quæ habentur in *Panormitana eodem tractatu feudis disc. 13.*, Verius est ex ibidem deductis, æquali existentia de tempore apertæ successionis, sexum vincere gradum ac ætatem, & sic masculi quamvis juniores ac remotiores præferri fœminis juxta casum præcitum hujus quæstionis; Et tamen si de tempore apertæ successionis nullus masculus existeret, unde fœmina, quæ solum est superius admitteretur, ista per masculum postea supervenientem non excluditur, quamvis supervenientem esset, priusquam fœmina obtineret novam heredituram, vel possessionem adipisceretur, ut communi calculo firmant feudistæ relati per *Silvan. de feudis par. 7. cap. 4. num. 22. Rosenb. cap. conclus. 41. num. 26. & sequen.*, & in *glos. in l. si viva matre*. Igitur multò magis in fideicommissis ordinatis bonis alodialibus indifferentibus, in quibus sexus masculinus non est adeò privilegiatus.

Motivabant aliqui scribentes pro actore electione, quæ communiter tribuitur *Romanis, in l. 134.*, de qua supra in *Bonon. primogenitura de Lavinis, disc. 7.*, & in *Ferrariens. fideicommissi de Franchi disc. 9.*, quod scilicet dum sexus fœmininus subsidiariè vocatus erat, in defectum masculini, ibidem admitti non debuisset dicta Virginia, sed successio debebat remanere in pendulo, dum durabat potestatis potentia existentia masculorum ex ipsa materia liere procreandorum, ut eventus docuit; Verum fabulæ species videbatur, istam conclusionem, in suo casu veram, ad hanc facti speciem applicari, quoniam ita esset inhabilitare omnes fœminas habiles ad filiorum procreationem, atque solummittendæ venirent moniales professæ, vel solum filiorum procreatione desperata, quod esset tantum absurdum.

Unica verò dubitandi ratio, quæ cadere poterat, videbatur illa motivata in ultima decisione *coram Zarata*, quod scilicet incertum esset, an de tempore apertæ successionis per mortem *Clara* esset necne procreatus dictus *Joannes Felix* masculus; Verum & ex hoc injustitiam resultare dicebam quoniam reo & possessori sufficit vincere per animum actoris, cujus onus est plenè & conclusivè probare id quod est suæ intentionis fundamentum, & sic ipse actor tenebatur probare suam existentiã, qua non probata, reo sufficiebat dicta hereditudo juxta notoria axiomata in foro quotidianæ.

## BONON. FIDEICOMMISSI DE BLANCHETTIS

PRO  
COMITE JULIO  
CVM

COMITISSA ELISABETHA MARIA  
DE BLANCHETTIS.

Casus decisus per *Roram pro Julio*, & postea concordatus.

De incompatibilitate plurium fideicommissorum, vel majoratum in una persona, Et an facta electione unius incompatibilis, liceat variare, & agnoscere alterum, potestimè si illud aperiatur ex nova vacante.

SVMMA